DE GRAVIDITATE OARICA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI,
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR,
DIE X. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXVIII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

CAROLUS LUDOVICUS RAHTS,
ELBINGENSIS.

OPPONENTIBUS:
C. SCHIEGNITZ, MED. ET CHIR. DD.,
J. SYDOW, MED. ET CHIR. DD.,
H. HEDINGER, MED. ET CHIR. CAND.

ACCEDIT TABULA AENEA.

BEROLINI,
LITTERIS AUGUSTI PETSCHII.

C. L. RAHTS,

PATRUO OPTIMO DILECTISSIMO,

MAXIME DE SE MERITO,

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

In morbo qui, cum rarissimus sit, difficillime cognoscitur et qui quoque tunc, cum mihi dissertationis scribendae dederit ansam, non est perspectus; me, vires meas, quae, quam tenues sint, optime scio, exercuisse neminem unquam offendere potest. Cum vero femina, a qua curanda mihi meas abstrahendo collegi observationes paucos tantum dies caritatis nosocomio inesset, omnibusque quibus antea affecta erat, quaeque de ejus statu certiorem me facere potuissent, essem destitutus; morbi historia brevior et ab omni parte minime absoluta, ut mihi ignoscatur rogo atque rogo.

Omnes observationes, quae mihi hac de re ad manus erant collegi et breviores reddidi, quia his tantum firma atque probata nititur diagnosis, itaque fore, ut ex incepto meo haud prorsus vano aliquid capiant incrementi spero. Omnes ovarii degenerationes, e quarum numero est dentium criniumque formatio, quas, priores tantum auctores, ad residuas foetus extincti partes retulerunt, meo jure, ut credo, omisi; ne alienis inferendis lectoris defatigarem patientiam.

Graviditatem extrauterinam eam dicimus, cujus foetus non in ipso utero sed extra eum versatur.

Olim tales foetus prodigia et monstra portentosa [1]) sunt appellati. Quae graviditas extrauterina, pro vario ejus loco, in varias distribuitur partes, qua in re ad eam, quam dicunt primariam et secundariam, maxime respicias est necesse.

Primaria sive primordialis [2]) ea est, in qua ovum, priusquam in uterum pervenit, loco quodam extra eum adhaeret, incrementa capit, permanet. Contra in secundaria foetus ex uteri cavo, aut vagina, aut ovario, aut tuba, his partibus aut rumpentibus, aut putrescentibus, in cavum defertur abdominis [3]).

In graviditate, quae primaria dicitur, foetus aut in ovario [4]) (graviditas oarica), aut in tuba (graviditas tubaria), aut in cavo abdominis (graviditas abdominalis) esse potest.

---

[1]) *Carus,* Zur Lehre von Schwangerschaft u. Geburt. 1. Abth. Leipz. 1822. p. 50.

[2]) *Josephi,* Ueber die Schwangerschaft aufserhalb der Gebärmutter, und über eine höchst merkwürdige Harnblasenschwangerschaft. Rostock 1803. p. 27.

[3]) Foetus in vagina quomodo adhaerescat et ad maturitatem quasi perveniat, cujus rei *Noelius* *) exemplum attulit, vix credi potest et hodie quoque, ab omnibus fere, in dubium vocatur.

*) *A. G. Richter's* Chir. Bibl. 5. Bd. 4tes St. p. 690, 691.

[4]) *Osiander* **) pro ratione sua, qua gignendi explicat processum, graviditatem in ovario statuere nequit; qua causa, graviditatem oaricam oriri, si ovum in ovarii susuperficie sive potius sub ejus tegmine, quod est peritonaeum, adhaeret, affirmat.

**) *Fr. B. Osiander,* Handb. d. Entbindungskunst. 1. Th. Tübingen 1819. p. 298.

Cui graviditati tubariae interstitialis seu tubouterina potest subordinari, cujus ovum in ea tubae parte, quae in uteri sita est substantia, habemus. Veteriores auctores, ut *Boehmerus* [1]), graviditatem oaricam et tubariam in externam dividunt et internam. (Quam primam dixi, *Bianchus* [2]) mediam nominat et externam, abdominalem intelligit). Si vero rem ad vivum velis resecare, externae abdominalibus adnumerari debent; nam si haec locum habet, ovum nonnisi in extremo horum organorum tegumento considet.

CAUSSAE.

Caussae graviditatis extrauterinae primariae, ad quam hoc loco maxime spectaverim, et mechanica, quae dicuntur, impedimenta et irregulares horum organorum functiones afferri possunt. Ad illa pertinent ovariorum vel tubarum degenerationes, tuba nimis brevis vel cum vicinis partibus nimis concreta, tuba vel muco, vel semine obstipata etc. In his autem harum partium affectio nimis attenta, ut ovum in iis moretur, ansam dare, itemque tubarum atonia graviditatem oaricam aut abdominalem potest provocare [3]). Quo referendi sunt: intemperantia in re venerea [4]), tubarum affectiones spasmodicae in ipso concipiendi momento, „par une sorte d'extase amoureuse" [5]); deinde timor, pudor, animus angustus, quibus femina in commercio haud licito deprimitur, quique eam oscillationem, quae in foecundationem repetitur et turbant, et impediunt [6]).

---

[1]) *P. A. Boehmeri* observationum anatomicarum rariorum. fasc. 1. p. xxx.

[2]) *J. B. Bianchi*, de naturali in humano corpore vitiosa morbosaque generatione historia. Augustae Taurinorum 1741. p. 83.

[3]) *J. F. Meckel*, Handbuch der patholog. Anatomie, 2ter Bd. 1ste Abth. Leipz. 1816. p. 176.

[4]) *Boehmer*, l. c. p. XLIII.

[5]) Dictionnaire des sciences médicales. Tome XIX. 1817. Art. Grossesse p. 399.

[6]) In lexico quod dicitur Dict. d. sc. méd. l. c. p. 399 legitur exemplum aptissimum, et quidem hocce: „Une femme, qui est morte à l'hospice de la Maternité, à la

Astruc [1]) putat, graviditatem extrauterinam saepius et plerumque inveniri in viduis, iisque feminis coelibus, praesertim in iis, quae rationis et prudentiae prae se ferunt speciem, quam in ipsis uxoribus.

MUTATIONES,

QUAE A SEXUALI SYSTEMATE EJUS FEMINAE NON ABSUNT, QUAE GRAVIDITATE EXTRA-UTERINA LABORAT.

1) *Uteri mutationes.*

Hic majorem complectitur ambitum [2]), quamquam fructus extra uterum crescit. Parietum materies augetur; portio uteri vaginalis in brevius contrahitur molliorque evadit; os uteri externum magis magisque conglobatur [3]). Plerumque mensium cessant fluctus et oritur membrana decidua *Hunteri.* Quam posteriorem semper in graviditate extrauterina in utero locum habere, primus observavit *Hunterus* [4]) seriusque ab omnibus fere est firmatum. Haec decidua saepius in molarum formas intumescit et hac in forma, sine dubio, nascendo potest proferri [5]). Interdum efficitur ea moles, placentae

---

suite d'une grossesse extra-utérine, racontait, avant sa mort, que la crainte d'être surprise dans les bras de son amant, en entendant remuer la clef de la porte de sa chambre qu'elle avait imprudemment laissée au dehors, lui fit éprouver la plus vive émotion à l'instant même où elle a dû concevoir. En effet, les mouvemens de l'enfant se manifestèrent quatre mois et demi après cette époque."
Alterum exemplum narrat Lallemandus *).

*) *C. F. Kleinert's* Repertorium der etc. Journalistik, 1828. März. p. 79 aus: Neue Samml. auserl. Abhdl. zum Gebr. für pract. Aerzte. X. Bd. 3. St. Leipz. 1827.

1) *J. Astruc,* Theoret. pract. Abh. von den Frauenzimmer-Krankh. A. d. Fr. mit Anm. von *Chr. Fr. Otto.* Dresden 1772. 4ter Th. p. 190.

2) Ex *Hartmanni* observatione augentur in animalibus omnia uteri cornua, etsi unum tantum eorum foecundatum est. Dict. des sc. méd. l. c. p. 406.

3) *A. E. v. Siebold,* Lehrbuch der theor. Entbindungskunde. 4te Ausg. Nürnberg 1824. 1. Th. p. 358.

4) *Meckel,* l. c. p. 163.

5) *Bianchi,* l. c. p. 161, 162: corpus quoddam velut

similis, et sic, simul cum haemorrhagia, removetur; ut *Turnbull* [1]) observavit. Graviditas si longius est progressa, uterus, neque pro forma sua, neque pro portionis vaginalis statu non a graviditatis afficitur periodo. Neque ita augetur, ut in graviditate normali, et plerumque mutationibus tantum uteri, qui jam secundo mense [2]) gravidus est inservit. Atque eo magis amplificatur, quo major est ovi cum eo vicinitas. Foetus si moritur, mater autem superstes est, uterus sensim sensimque in eum redit statum, quo plane non est gravidus [3]). Interdum autem foetus extrauterinus, si adest, cum forsitan, quoad alimentum, a matre afficiatur [4]), organum longius in graviditatis retinet statu. Ex *Clarkii* [5]) graviditatis tubariae observatione uterus, post duos annos, duplo major erat, quam ante graviditatem.

Menstruatio, quae plerumque cessat [6]), si cum aliis eam conferamus graviditatibus extrauterinis, in graviditate oarica maxime legitime adesse dicitur [7]). Post foetus mortem interdum prorsus cessat menstruatio, vel, post quoddam intervalli spatium, de novo apparet.

2) *Mammarum mutationes.*

Quae saepe, ut in regularibus graviditatibus,

---

carnosum, sanguine tinctum, et juglandis magnitudine ab utero sine dolore emisit.

[1]) *J. Burn's* Grundsätze der Geburtshülfe. A. d. Engl. übers. von *Kölpin*. Stettin. 1820. p. 237.

[2]) *Froriep*, Handb. der Geburtshülfe. 8te Ausg. 1827. p. 188.

[3]) *Meckel*, l. c. p. 164.

[4]) *Meckel*, l. c.

[5]) *Joh. Clarke*, Geschichte einer Schwangerschaft der Tuba Fallopii, mit Bem. in: Neues Journ. der ausl. med. Lit. von *Ch. Fr. Harlefs*. 8ter Bd. 1. St. p. 178, aus Transact. of a soc. for impr. of med. and chir. knowl. vol. 2. London.

[6]) In omnibus, quas observavit *Baudelocquius*, graviditatibus extrauterinis nunquam eam cognovit. Dict. des sc. méd. l. c. p. 403.

[7]) *Siebold*, l. c. p. 364.

mutantur; saepe nullum lac paratur, etiamsi graviditas vulgare non excedit tempus. Interdum lac tamdiu secernitur, quam fertur foetus extrauterinus. Quod in lithopaedio, per triginta annos dextra in tuba condito, factum est [1]). Aliud observavit exemplum *Hallerus* [2]).

3) *Ovarii mutationes.*

In ovario propter graviditatem repleto, omnia ejus vestigia perduntur ejusque loco sacculus adest firmior, in quo foetus versatur, qui placentae adhaeret et quoque cum chorio est conjunctus. Extra omnem poni potest dubitationem, hunc sacculum esse ovarium mutatum; nam usque ad eum tubam et extensa vasa spermatica persequi possumus [3]).

Baudelocquius hos sacculos, quibus insunt foetus extrauterini, optime descripsit et *Marcus* [4]) hoc nobis, his fere verbis, proposuit: „Parietes hujus sacculi unam fere continent lineolam, si ad densitatem respicias, interna planities est fusca, livida, tenui membrana vestita quam digitus facillime diluit. Uno loco, cujus magnitudo incipiendam placentam aequat, internum hoc spatium est fuscius, nigrius, inaequalius; sese ostendunt in ejus superficie crassiora vasa (tubercules variqueux), ibique sacculi parietes sunt densiores, neque minus fibris, magnoque vasorum sanguiferorum numero [5]), pertexti sunt. Quae omnia, hoc in loco placentam oriri indicant." Cui sacculo insunt chorion et amnion, serius quoque placenta, quae tunc tenuior est minoraque, quam in utero,

---

[1]) *Hufeland,* Neueste Annalen der franz. Arznei- und Wundarzneikunst. 1. Bd. 1791. p. 454—455, aus Mém. phys. et d'hist. nat. par *M. Etienne, J. P. Houfset.* vol. 2. Auxerre 1788.

[2]) Vide p. h. D.

[3]) *Matthew Baillie,* Anat. d. krankh. Baues. a. d. Engl. mit Zus. von *S. Th. Soemmering.* Berlin 1794. p. 231.

[4]) Dict. des sc. méd. l. c. p. 401.

[5]) In uno, quem *Baudelocquius* observavit, casu locus, qui tangi potuit, ita pulsavit, ut sacculus foetum continens, nonnisi vasorum globo formatus esse videretur. Dict. des sc. méd. l. c. p. 402.

continet vasa. In graviditate abdominali, quam *Turnbull* [1]) observando accuratius cognovit, membranae erat similis suaque vasa tam erant parva, ut eorum cursum vix possent persequi.

In graviditate abdominali plures saepe existunt placentae, quae variis locis in cavo abdominis affixae sunt.

Mutationes, quae foetui hoc in sacculo obtingere possunt serius, ubi de exitu disseram, fusius exponam.

DIAGNOSIS.

Graviditatis extrauterinae diagnosis primo, quo constat, mense tam dubia est, ut certissima ejus signa desiderentur et procedente tantum tempore eam verisimilius possumus suspicari. Singulae hujus graviditatis species, si, primis jam mensibus, accuratius velis perspicere, fere impossibile esse videatur. Tunc demum, si foetus movetur et certius tangi potest ex ejus situ has quoque species, quae subordinatae sunt, dignoscere possumus.

Primis graviditatis extrauterinae signis ea sunt adnumeranda et adjungenda, quae in quaque adsunt graviditate. Quo pertinent: menstruorum cessatio, vomitus, praesertim matutinus, nausea, totius corporis lassitudo variaeque aliae mutationes. Plerumque consensuales hi casus vehementiores, graviores et longiores; magis quam vulgari in graviditate capitis animadvertuntur congestiones [2]). Ejus lateris pes, in quo foetus est situs, est quasi stupore affectus [3]); et interdum quoque oedema ejus pedis conspicitur. Tum certissima sunt signa, quae indagatione per vaginam, per rectum, ventrisque tactu scrutantur. Qua in re mutationes sexualis systematis, jam supra memoratae, minime sunt negligendae.

Heimius [4]), quo nullus neque experientia, neque doctrina major est, praesertim, si ad hunc respexe-

---

[1]) Dict. des sc. méd. l. c. p. 401.

[2]) *Siebold,* l. c. p. 358.

[3]) *Froriep,* l. c. p. 188.

[4]) *Heim,* Erfahrungen u. Bemerkungen über Schwangerschaft aufserhalb der Gebärmutter, in *Horn's* Archiv für med. Erfahrung. 1812. 1ster Bd. S. 1 — 38.

ris morbum, haecce signa tanquam gravissima ac firmissima proposuit eaque nunquam desiderari affirmavit.

1) Pariendi quasi dolores, qui ante tertiam et quartam septimanam modo longioribus modo brevioribus intervallis sentiuntur; modo longiores modo breviores, modo fortiores modo leniores sunt et plerumque crescunt. Qui dolores ex *Osiandri* [1]) sententia spasmo et colicae uterinali sunt similes, ovariorumque sedem maxime implent; quibus quoque nonnullae gravidae, si menstruatio primum deest, subjectae sunt. Secundum *Baudelocquii* [2]) observationem sacculus, cui inest foetus, in his contrahitur doloribus, obdurescit et, doloribus jam remissis, extenditur et mollitur.

Sine dubio quoque uterus magnae horum dolorum partis est causa, cum a multis feminis, quae saepius jam enixae erant, veri partus dolores sint habiti, iisque etiam tunica decidua, quae in utero sedem habet, pellitur. Semel tantum, quod *Fuchsius* [3]) descripsit, ruptus est uterus ne gravidus quidem ab altera ad alteram tubam inter gravissimum horum dolorum impetum. Aperitur quoque in hisce tentationibus internum externumque os uteri ita, ut digitum quodammodo inducere possis. Mater, si mortuo foetu superstes est, vario tempore, hisce cruciatur doloribus quamdiu foetus corpori inest.

2) Dolores, si maximi sunt, ischuria et alvus obstructa haud desunt.

3) Rutilus, sanguine permixtus, muci ex vagina fluxus, quem *Heimius* tunicae deciduae tribuit et maxime in graviditate tubaria observasse contendit. Interdum quoque sanguis profluit.

4) Aegrota eo tantum latere, quo foetus est situs, opportune potest cubare. Parvo quodam eodemque certissimo loco, in quo sacculus est, saepissime sentit dolores.

---

[1]) *Osiander,* l. c. 2ter Th. 2te Abth. p. 393.

[2]) Dict. des sc. méd. l. c. p. 407.

[3]) Journal für Geburtshülfe, von Dr. *El. von Siebold.* 2ter Bd, 2tes Heft. p. 261 — 282. Geschichte einer Bauchschwangerschaft mit Zerreifsung des Uterus, beobachtet von Dr. *C. J. Fuchsius.*

5) Singularis et clamandi et gemendi sonitus.
6) Propria quaedam ratio, qua vultus immutatur atque os torquetur.

Etsi haec signa saepissime adsunt, ut ex sequentibus cognosci potest observationibus, interdum tamen desiderentur. Sic in graviditate tubaria, quam *Struvius* [1]) observavit, morbus quatuor tantum duravit horas et graviditas in ligamento lato, a *Loschgio* [2]) observata, plurimis caruit signis, quae *Heimius* adesse firmavit.

Atque sic: mutationes systematis sexualis, quas manus auxilio accuratissime cognoverunt simul cum partus doloribus et indubitato sensu gravitatis, pressionis, firmo in loco in pelvis cavo certissima testimonia crediderim. Serius si foetus se movet, quod autem in graviditate abdominali tantum esse potest, si rarissimos casus foetus, sive in ovario sive in tuba maturescentis excipimus, haec diagnosis nobis optime potest persuadere.

Osiander [3]), ut uterum esse inanem cognoscat, proponit, femineum catheterem, medii ambitus, per vaginam in uterum esse inferendum, ut dijudicare possimus num hic facile usque ad fundum uteri, per duos fere pollices, intrudi possit; cui vero, cum diagnosis hac in re facillime fallatur, haud facile assentiendum esse videatur; cum hoc instrumento, si ovum utero inesset, facile posset dirui.

Variae graviditatum externarum species difficilius sunt judicatu. In graviditate oarica tumor est rotundior, volubilior, similis ovario per hydropem extenso [4]), ab utero remotior. In graviditate abdominali singulae foetus partes facilius possunt tactu comperiri. Ex *Heimii* [5]) sententia eo verisimilior est graviditas tubaria, quo priores partus dolores adsunt; quo seriores hi sentiuntur, eo major est graviditatis oaricae, seu abdominalis suspicio. Dolor quoque

---

[1]) *Rust's* Magazin für die gesammte Heilkunde. 13ter Band. 3tes Heft. p. 516.

[2]) *Horn's* Archiv 1818. September, Octbr. p. 228.

[3]) l. c. 1ter Th. p. 450.

[4]) *Burns*, l. c. p. 239.

[5]) l. c.

in graviditate abdominali superficiem magis tangere fertur, quam in graviditate oarica et tubaria. Neque minus graviditas oarica sive abdominalis concludi potest, si duobus mensibus praeterlapsis dolorum accessus non leniuntur ac mitigantur. Graviditates si in tuba et ovario sunt, dolores multo sunt graviores, quam in graviditate abdominali. In graviditate oarica autem dolores multo sunt rariores, quam in graviditate tubaria [1]).

EXITUS.

Sex discerni possunt graviditatis extrauterinae exitus. Quorum primus [2]) fructus cum velamentis resorbtio, primo originis tempore, huc non pertinet, cum aperta ejus signa adesse nequeant. Neque locum habere potest eorum [3]) sententia, qua dentium criniumque formationem, quam saepius in ovariis reperimus, ex fructus resorbtione, haud prorsus absoluta, esse ortam credunt. Quae quoque hodie [4]) uno quasi ore repellitur.

Alter exitus, receptaculi, cui inest foetus, ruptio [5]) plerumque matris mortem efficere videatur et plerumque in graviditate oarica inter tertium quartumve [6]) mensem; in graviditate tubaria paullo prius adest; in graviditate interstitiali graviditas fere nunquam tertium transgreditur mensem, sed maximam partem inter primum et secundum absolvitur. Cui ruptioni vehementissimi praecedunt dolores, partum esse appropinquantem femina credit, sequitur deinde quies gratusque calor per abdomen sentitur, color pallescit, pulsus rarescit, corpus frigido tegitur su-

---

[1]) *Heim* in *Rust's* Magazin. 3ter Bd. 1tes Heft. p. 7.

[2]) *Siebold,* Lehrbuch u. s. w. l. c. p. 365.

[3]) *Haller,* Elem. Phys. 4. Tom. 8. p. 46.

[4]) *Meckel,* l. c. 2ter Bd. 2te Abth. p. 273.

[5]) Foetum a sacculo dimitti propter inflammationem et excoriationem, foetus motu, exortam, qua parvus sacculi locus afficitur, *Burnsii* *) est sententia. Attamen hanc sacculi ruptionem cum uteri esse conferendam crediderim et hanc explicationem repulerim.

[6]) Dict. des sc. méd. l. c. p. 407.

*) l. c. p. 238.

dore, sempiternae fere syncopae apparent et gravissimis affecta convulsionibus aegrota moritur. Quae omnia internae sanguinis amissionis sunt signa et semper in mortua et liquidi et coagulati sanguinis reperitur multitudo, atque plerumque foetus e sacculo demissus in abdomine sanguine est involutus. Viscera sacculo proxima majus minusve sunt inflammata. Neque minus femina, ante hujus sacculi ruptionem, per viscerum inflammationem gangraenamque, inde effectam, vita potest exire. Quae viscerum inflammatio jam ante sacculi ruptionem et per ejus vicinitatem oriri potest. *Heimio* [1]) credente, gravidae feminae mors eo maturius apparet, quo serius sacculus est ruptus et vice versa.

Tertius exitus, fructus in ovario maturitas, minime videtur impossibilis, ut jam *Sieboldius* [2]) monuit, quocum ipse *Heimius* [3]) videtur consentire; nam „Sollte es solche Schwangerschaften von 9 Monaten „geben; wo die Frucht ruhig in ihren Häuten ein„geschlossen bleibt und stirbt; so kann die Frau am „Leben bleiben" inquit. Qua supersitioni capimur, si animum ad ovaria, quantopere et hydrope et degeneratione, dilatata advertimus.

Foetum autem fere maturum, sacculo rupto, in abdomen esse demissum matremque superstitem esse minime est verisimile; cum sine interna sanguinis amissione fieri nequeat. *Bianchus* [4]) sese expertum esse dicit, matrem, sacculo rupto, ultra quatuordecim annos vitam degisse. Quam vero graviditatem mediam vocat, qua sacculum in ovi gallinacei magnitudinem esse contractum affirmat. Attamen, quomodo talis sacculus quali nunquam fibrae ita firmae, ut uteri sunt, eo ipso magis possit contrahi. Videtur igitur graviditas abdominalis fuisse. Alterum simillimumque casum *Deutschius* [5]) narrat, in quo autem placenta in externa ovarii superficie locum habuisse fere putaverim, quo ovarium ad

---

[1]) *Horn's* Archiv, l. c. p. 31.

[2]) Handbuch, l. c. p. 364.

[3]) l. c. p. 34.

[4]) l. c. p. 158 — 173.

[5]) Dissertatio de graviditate abdominali. Halae 1792.

summam vim excitatum in tantum degeneravit tumorem. *Fuchsius* [1]) nobis descripsit casum, quo placenta in externa ovarii superficie sita idque triplicatum erat. Foetum in cavo abdominis excoli ab omni abhorret dubio; eum in tuba posse ad maturitatem perduci, omnino negat *Heimius* [2]), duos tamen casus *Cyprianus* [3]) et *Saxtorphius* [4]) observaverunt.

Quartus exitus is est, si foetus putrescit, quo quoque organa adjacentia inflammantur et, cum partim gangraenescant, foramen oritur, quo foetus partes, aut per rectum, aut per vaginam, aut per abdominis tegumenta sibi parant exitum. Admodum raro foetus pervenit in vesicam urinariam. Inter multos fructus, qui hac ratione in lucem venerunt, multi in ovario sedem habuisse esse potest, quod vero, cum observationes minus fuerint perfectae sectionesque rariores fuerint, non pro certo potest affirmari. In qua putredinis mutatione matri saepe, si vires, ut par est, sustentantur, vita reservatur: alioquin saepe febre hectica dissolvitur.

Quintus exitus in quo foetus extinguitur atque, aut minus mutatus durescit et in lithopaedion transit, aut molles ejus partes in adipocire [5]) mutantur, aut omnino exarescit matri anima retinetur.

Sextum exitum eum habere possumus, in quo ovarium in hydropem transit. Foetus enim praesens, ut hydrops oriatur, multum valere fertur [6]); et, quamquam mihi nullum hydropis hoc modo orti ovarii

---

[1]) l. c. [2]) l. c.

[3]) *Osiander,* l. c. 2ter Th. 2te Abth. p. 398. Anm.* aus *Cyprianus,* Epistola hystoriam exhibens foetus humani post XXI menses ex uteri tuba matre salva et superstite excisi; Lugd. Bat. 1700. 8.

[4]) *Osiander,* l. c. 3ter Th. p. 357. Anm. ** aus Acta reg. soc. Havn. vol. 5. 1818.

[5]) Exemplum, quo molles foetus partes, qui tubae sinistrae inerat, in adipocire transierant affert *Lacroix* in: Rapports généraux des travaux de la soc. philomatique de Paris depuis le 1. Janv. 1792, jusqu'au 23 frimaire de l'an 6 etc. à Paris 1798 p. 156, 157; übers. im Phys. medicin. Journal von *Kühn.* Novbr. 1800. Leipzig. p. 860, 861.

[6]) Dict. des sc. médic. l. c. p. 409 et *Osiander* l. c. 3ter Th. 1825. p. 356.

ovarii adest, *Vassalius* [1]) tamen in tuba, hydrope maxime extensa, in pejus mutatum invenit foetum.

PROGNOSIS.

Ex iis, quae hucusque attuli, prognosin admodum esse dubiam quisque intelligit. Neque minus exitum nunquam summa fiducia posse praedici, cuique patebit; cum earum nescii simus cognitionum, quibus foetus in graviditate oarica, tubaria et interstitiali exstinguitur matrique vita hoc modo reddi potest.

CURATIO.

In dirissimis doloribus aptam symptomaticam curationem hirudinibus, fomentis, clysmatibus, cathetere, emulsionibus, opiatis etc. esse indicatam, et, si foetus putrescit, febrim putridam antisepticis et roborantibus esse propulsandam, et incisionibus, et dilatationibus foetus partibus exitum esse relevandum, satis ex communibus curationis regulis potest concludi. Restat ut exponam, qua ratione operationes, ab *Heimio* [2]) propositae, sint probandae. Neque aliter, omnibus accurate perpensis, possumus, quin *Osiandro* [3]) et *E. J. Thomassen à Thüessink* [4]) assentiamur; e quorum judicio tunc tantum necessaria est operatio, cum fructus non solum clara vitae signa edit, sed etiam natura eum expellere vult; quod, rarissimis casibus exceptis, fere nunquam, nisi in graviditate abdominali locum habere potest. Et hoc in casu sectionem vaginalem, sin aliter fortuna favet, gastrotomiae esse praeferendam censuerim. *Osiander* [5]) contra, ceteris in casibus operationem dissuadet, immo naturam non esse impediendam censet; cum, multo plures feminas, quae graviditate extrauterina laboraverunt et sibi ipsis erant permissae, esse servatas, quam mortuas, ex eo potest probari.

---

[1]) Dict. des sc. méd. l. c. p. 410.

[2]) l. c. [3]) l. c. 2ter Th. p. 407.

[4]) *Rust's* Krit. Repert. für die ges. Heilk. 2ter Band. Berlin 1824. p. 477 — 488.

[5]) l. c. 3ter Bd. p. 358. et sq.

Eo magis in graviditate oarica et tubaria, cum foetus fere nunquam animam possit respirare, idque, quod interest inter graviditatem interstitialem easque quas modo nominavi, minime sit apertum, operatio est contraindicata ideoque hac in re symptomatica tantum curatio admitti potest.

OBSERVATIONES.

A. In quibus primum eos enumerare volo casus, quibuscum sacculi ruptio itemque matris mors erat conjuncta.

1. Primus *Mercerus* [1]) talem casum observavit et descripsit anno 1614. Femina unum et triginta annos nata, octava vice gravida, tumore duro, pugni magnitudine, in regione iliaca dextra cum aliquantulo dolore laboravit. Vulgaria graviditatis signa aderant, cujus quarto mense vehementissimae sese demonstrarunt cardialgiae, quas sempiternae fere syncopae sunt secutae, et post decem horas aegrota animam exspiravit. Dissecta ventris infimi regione invenerunt sex coagulati sanguinis libras et dextro in latere foetum, quinque pollices et uncias magnum, feminei sexus, bene efformatum. Ovarium dextrum tubaque dextra maxime erant extensa, omnia lacera, uterus vacuus pugni contracti magnitudine, in quo dissecto, leve quoddam molae rudimentum (decidua *Hunteri*) esse conspiciebatur.

2. Anno 1682 a *St. Mauritio* [2]) (quem *Duverney* [3]) *St. Moresy* appellat) observata. Femina nono gravida erat foetu, omnesque antecedentes partus faciles fuerant. Inde a quinque annis non enixa erat, menstruis, quae eam nunquam defecerant, per mensem integrum et amplius, etsi alias male non

---

[1]) *Joanni Riolani,* Anthropographia et Osteologia. Parisiis 1626. Lib. 2. p. 283 — 285.

[2]) *J. J. Mangeti,* Theatrum anatomicum. Tom. 2. Genevae 1717. lib. 2. pars 2. cap. 3. pag. 140. Historia 1. Petitur ex epistola a Clariss. Domino *de St. Maurice* M. D. ad Clariss. Dominum *de la Closure,* apud Petrocorios Medicinam facientem. 26. April. 1682 conscripta.

[3]) Oeuvres anatomiques de Mr. *Duverney.* Tome 2. à Paris 1761. p. 349.

haberet, destituta fuerat. Per duos postremos vitae ejus menses sanguinis aliquid ex utero stillavit.

Repente in deliquium incidit et fere post duodecim horas, se peperisse exclamans, est mortua. Extispicio multum sanguinis coagulati dextro in latere repererunt, itemque foetum, pollicem crassitie aequantem, longitudine vero eodem tertia parte breviorem, distincte formatum, masculinum. Testiculus dexter per medium dilaceratus, qua parte tubae non obversus est, sanguine oppletus, quadruplo sinistro crassior, ovum gallinaceum crassitie aequabat; foris et intus totus rubebat. Uterus crassior et mollior, quam in feminis non praegnantibus, ita erat constitutus, ut in primo graviditatis mense; membranae interioris vasa sanguine turgida et non parum varicosa erant.

3. *Montagnierus* [1]) anno 1697 mulierem observavit triginta annos natam trigintaque abhinc menses nuptam. Felici cum successu filiam jam partu ediderat. Quatuor menses post concepit, quamvis conceptionis illius nescia; siquidem haemorrhagia uterina laborabat vires parum frangente. Octo ante obitum diebus animi deliquium vehementissimum passa est; octo post dies ingens vomitus ipsam torsit ut et novum animi deliquium. Quinque horis post lipothymiae paroxysmum elapsis vitam cum morte commutavit.

In cadavere aperto cavum abdominis, partim concreto, partim liquido sanguine erat repletum, cui foetus bimestris, optime efformatus, quatuor digitorum transversorum longitudine inerat. Testiculus dexter sexies sinistro crassior et illa, qua parte dexterae *Fallopii* tubae tentorio obvertitur, prorsus lacerus; in quo quoque aliquid, quod placentae prae se fert speciem, est conspectum.

---

[1]) *Mangetus*, l. c. Historia 2. Exscripta est e Dissertatione de structura et usu uteri, quae jam a duobus annis mihi fuit peramice communicata a Praeclarissimo Domino *Vieussens* regis Gallorum consiliario ac medico ordinario etc. Observatio Dn. Dn. *Montagnier* Celeberrimo Massiliensium medicorum collegio aggregati super formatione foetus in loco insolito.

4. *Boehmerus*[1]) contemplandi probavit diligentiam in femina triginta octo annorum, quae marium congressibus frequentius et effrenatius indulserat. Erat primo mense conceptionis anno 1749; menstrua suppressa, nausea, vomitus, animi deliquia, affectus spasmodicus, per intervalla quidem remittens, sed nunquam penitus cessans, aderant. Tertio graviditatis mense, tumor ventris durus, pedetentim crescens, ad sinistrum latus sese extendens, cum aucta molesta gravitate, sentiri potuit. Crescente tumore mingendi difficultas aucta est. Accessit febris intensa, inflammatoria, saevis symptomatibus, de vehementia non remittentibus, stipata, qua etiam nono die, supervenientibus motibus convulsivis, et, aliquot ante mortem horis, subito turgente atque aequaliter tumente abdomine obiit. Cadaveris dissectio ostendit in abdomine vastam sanguinis coagulati ac putidi effusionem et collectionem foetidi odoris; totum intestinorum tractum inflammatum et hinc inde sphacelo corruptum, versus regionem iliacam sinistram ovarium sinistrum in saccum mutatum. Superior uteri pars dextrorsum erat inclinata; posteriore sacculi parte, ubi in medio ruptura cum incipiente sphacelo animadvertebatur, dexter embryonis pes, ad genu usque prolapsus, versus os coccygis propendebat. Ramificationes in ovario impraegnato apparebant plures venosae, pauciores arteriosae, omnes vero magis, ac naturaliter esse solent, dilatatae. Uterus, magnitudine gravido unius circiter mensis similis, videbatur intus membrana molli porosa tecta. Exterior textura ovarii impraegnati fibrosa erat, interior, instar uteri, sinuosa et fibrosa vasculosa, diversimode crassa, circa locum placentae crassissima, et in tota circumferentia membrana tenui villosa obducta. Embryo, sexus potioris, fere quadrimestris, cum amnio optime potuit discerni. Ovarium dextrum naturaliter figuratum erat.

5. Quintam hujus rei attentionem, quae *Krohnii* [2]) est, excerptam tantum legi in *Starkii* epheme-

---

[1]) l. c. p. XXI — L. observatio 1. de conceptione ovaria. Halae 1752.

[2]) *Stark's* Archiv, 4ter Bd. 2tes St. p. 363; aus: Foe-

ridibus. Nimirum viderunt femina quadam, anno 1791 mortua, quae propter mingendi difficultatem in nosocominm erat recepta, femineum foetum quatuor et dimidiae librae pondere in laevo ovario vage extenso; cujus feminae uterus membrana decidua vestita erat.

6. *Frankius* [1]), Roveredanum anno 1800, ait, gravidam mulierem animadvertisse, quae ad imam atque lateralem abdominis partem gravissimis laboravit doloribus. Mense sexto orta est metrorrhagia, qua, quamquam jam cessabat, suis tamen misera aerumnis succubuit. Post mortem vero, foetum septimestrem multumque cruoris in ovario obtulit; uterus prorsus normalis.

7. Jam quoque mihi huc pertinere videtur, ut ea, quae *Murray* et *Kaltstroem* experti sunt, proferam, quae vero, quod valde dolendum, non totam, sed ex parte tantum, in *Osiandro* [2]) potui legere. Femina jam quater enixa, cui jam inde a quinque mensibus menstrua cessaverant, quaeque vehementissimis febribus, admodum dolorosis, affecta erat, subito, maximis in doloribus, interiit. In tumore saccato ad ovarium dextrum repererunt semestrem foetum femineum, qui usque ad matris mortem vixisse videbatur.

8. *Heimius* [3]) in femina, quae jam quinque liberorum erat mater et alternis vicibus, tales dolores, quales in pariendo esse solent, in ovario dextro, simul cum alvi et mingendi difficultate, senserat subitoque mortua est, abdomen sanguine plenum invenit. Cui inerat foetus, quinque mensium, cujus velamenta et placenta in medio ovario dextro erant posita. Uterus, triplo major, membrana decidua instructus erat.

9. In Dictionnaire des sciences médicales [4])

---

tus extra uterum historia etc. auctore *Henr. Krohn.* London 1791.

[1]) *P. Frank,* epitome. Lib. 6. Pars 2. p. 277.

[2]) l. c. 1ster Th. p. 298. Anm. ** aus: *A. Murray* et *C. Kaltstroem,* Dissert. gestat. ovar. observ. memor. illust. Upsala 1802. 4to.

[3]) l. c. p. 7. [4]) l. c. p. 406.

haecce, quae, ut verisimile est, huc pertinent, narrantur. *Uccelli* in femina, quae tertio graviditatis, in ovario dextro sedem habentis, mense mortua est, uteri parietes magnopere densatos ejusque cavum valde dilatatum reperisse.

10. *Granville* [1]) 1819 feminam, undequadraginta annos natam, observavit, quae septem liberorum mater, usque ad mensem Decembrem 1818 menstruis, ut par erat, gavisa est. Quae cum cessavissent, irregulares consecuti sunt, variis coloribus infecti, e vagina effluxus. Inde a Decembre 1818 usque ad mensem Junium 1819 morbo admodum doloroso laboravit, parvo sanitatis spatio excepto. Quinto die ante Idus Junii 1819 diem supremum obiit. In cadavere secando, ab externa parte, supra laevum os pubis, tumor magnus, mollis, mobilis, accurate definitus est repertus. Itemque in abdominis cavo, praesertim dextrorsum, serum, sanguine mixtum, et multum cruoris. Pro laevo ovario tumor nigro rutilus, quadrupla ovi gallinacei magnitudine, oculis obviam tulit; quo vas, ex corvi pennae densitate, arteriae spermaticae sinistrae ramificatio, exiit. Foetus erat quadrimestris. Tumori, tribus locis rupto, in interna superficie adhaesit placenta, dimidia justo parte minor, sed squammosior et vasculosior. Uterus aeque fere erat auctus, ac in vulgari graviditate; parietes ejus erant densati, os uteri clausum et ex ovi similitudine obliquum. In uteri cavo neque erat liquor, neque membranae quiddam. Ovarium dextrum et utraeque tubae erant sanae.

11. Undecima observatio est *Hoepfneri* [2]). Cujus arti femina occurrit, quae, semel enixa, septendecim annos gravida non fuerat. Tunc aquis salutaribus, quae Aquisgrani sunt, usa est, mentsrua ejus semper erant parca. Post refrigerium subito affecta est colica, quae in tempestatis vicissitudine, certis temporibus, rediit. Tempore octo hebdomadum in-

---

[1]) Magazin der ausl. Lit., herausgegeben von *Gerson* und *Julius*. 3ter Bd. Hamburg 1822. p. 495 — 499, aus. Philosoph. Transactions of the Royal Society of London: London 1820.

[2]) *Rust's* Magazin, 11ter Bd. p. 349 — 350.

terposito, quo hac colica vacua erat, subito in vehementem incidit accessum et post quinque horas, propter internam sanguinis amissionem, e vita decessit. In qua aperienda cavum abdominis sanguine erat repletum. In ovario sinistro lacerato foetus erat trimestris, bene efformatus. Qui, num funiculo umbilicali esset alligatus, non ad liquidum est perductum. Uterus erat angustior et sanguine caruit; tuba sinistra dilatata videbatur.

12. *Painter* [1]) nos certiores facit de femina, duodequadragesimum annum agente, quae, cum per longum tempus gravida non fuisset, nausea, capitis et tergi doloribus laboravit, et in qua, inde a duabus mensibus, menstrua, antea regularia, cessaverunt. Nonnullos jam dies mucosa quaedam colorata materies e vagina effluxit. In quaque tussi tam vehementes erant, utriusque inguinis, dolores, ut interne quidquam rumpi videretur. Propter nimiam pinguedinem nullum tumorem sentire potuerunt. Tertio die dolores, quavis quadrante hora, redierunt. Collum uteri, cum disquireretur, longius densiusque erat, quam primo graviditatis mense; simulque in supremo laevo latere tumor, ex ovi anserini magnitudine, tangi potuit. Sex hebdomades post muci effluxus maxime erat, itemque rutilus, dolores erant frequentissimi maximeque deprimentes. Post nonnullas hebdomades repente in syncopen incidit; pelvi inerat gravissima pulsatio, tumor major, uteri os idem, ac antea. Femina ipsa, se esse octavo jam mense gravidam partumque appropinquare, putavit. Mortua est inter syncopen. Statim post mortem sectio caesarea est facta; multum liquidi et coagulati sanguinis in abdomine repererunt, simulque materiem semicartilagineam, cauli instructam, ex infantis capitis magnitudine, quae e tuba dextra excreverat. Uterus maxime erat auctus ejusque parietes densati, ejus cavum densa, semicartilaginea lympha obtectum. Feminalis, quinque mensium, foetus inter intestina latuit et jam nonnullis ex diebus erat mortuus. Tu-

---

[1]) Magazin der ausl. Lit. 7ter Bd. Hamburg 1824. p. 187 — 191 et in *Froriep's* Notizen, 7ter Bd. No. 135 p. 40 — 42, aus: London medical repository 1823. Juni.

barum canales erant concreti; placenta substantiae ovarii intime conjuncta; spermatica vasa ejusque lateris dilatata. Ruptura in superiore et anteriore ovarii sinistri parte et placentae non pepercerat. Ovarium dextrum normale.

13. *Sammhammerus* [1]) feminam, viginti sex annos natam, septemque abhinc menses nuptam, observavit. Menstruatione, antea semper regulari, per quatuor menses destituta erat; signis graviditatis, ut nausea, deliquiis, congestionibus ad caput, et octo abhinc dies, dolore quodam obtuso laboravit. Subito, secunda mane hora, doloribus vehementissimis excitata est, abdomen interdum obdurescebat, convulsiones secutae sunt et totum corpus frigidum, viscido sudore obtectum, abdomen tumidum, molle, dextro in latere durius, valde dolens reperiebantur. Uterus erat amplificatus, delapsus, os ejus externum apertum. Rutilus foetidus mucus, duabus ab horis, excretus erat, sitis permagna, lingua muco albido obducta, alvus obstructa. Duas post horas diem supremum mulier obiit. Extispicio cavum abdominis coagulato liquidoque sanguine repletum, intestina multis in locis gangraenosa et inter ea foetus, quatuor vel quinque mensium, cum funiculo umbilicali placentaque, conspecta sunt. Ovarium dextrum quinque erat pollices longum, dimidiae latitudinis, superiore et sinistra in parte lacerum. Uterus, ovarii amplificati magnitudine, decidua vestitus.

14. *Trezevant* [2]) aframm, inter quintum et sextum mensem, gravidam observavit, quae antea, omissa alvo obstructa, nulla singulari molestia pressa erat; subito autem vehementissimis tergi doloribus correpta est; paullo post, in interno aliquid rumpi, secum putavit simulque mors est consecuta. Cadaveris sectione cavum abdominis sanguinis cruore erat repletum, atque in eo foetus perfectus, sex septemve

---

[1]) *Rust's* Magazin, 16ter Bd. 1stes Heft. p. 64 — 70. Schwangerschaft des rechten ovarii, beobachtet von Dr. *Sammhammer*.

[2]) Medicinisch-chirurg. Zeitung. Jahrg. 1827. Novbr. p. 197, 198; aus: The med. recorder of original Papers and Intelligence in Medicine and *Surgery* etc. Nro. 3. Juli 1825.

mensium; et ovarii dextri tubaeque dextrae loco ruptum foetus velamen. In extrema superficie ovi tunicae conspecta est vesica, ex nucis juglandis similitudine, quae absolutum foetum, sex vel octo hebdomadum, continuit, cui propria erant velamenta, atque vitae, paullo antea extinctae, signa ostendit.

15. *Doudement* [1]) in femina, triginta quatuor annos agente, quae, undeviginti annos nata, semel pepererat, aliis signis exceptis, uteri collum ossi pubis obversum reperit. Graviditas extrauterina non erat cognita. Cadaveris sectione abdomen intumuerat eique inerant multa sanguinea nigraque liquida, masculusque foetus, trium et dimidii mensis, quinque pollices et decem lineas longus, gravis tres et dimidiam unciam. Ovarium dextrum, cum tuba dextra in unum concretum, formavit sacculum, pugni magnitudine, cujus parietum crassitudo lineam dimidiam comprehendit, quique sanguine coagulato, pallidi coloris, erat impletus et amnion placentamque continuit. Dextra in parte erat foramen duos pollices longum. Uterus erat talis, qualis est in quinque graviditatis mensibus dimidiatis, parietum densitas duarum erat linearum et cavo inerat membrana glutinosa; extremo uteri ori digitus index immitti potuit, interno autem tenue tantum specillum.

16. *Mariane Lippke* e gente *Heidericiana*, doliarii, a quo separata erat, uxor, triginta sex annos nata, ex pago, qui nominatur Kloster Zelle, die quinto ante Idus Januarii in nosocomium caritatis Berolinense recepta est. Erat mediae magnitudinis, firma constitutione gavisa esse videbatur; hoc vero tempore admodum pallidus erat faciei color, variolarum cicatricibus tectus, emaciata atque admodum debilitata erat. Antea, ut dixit, bis, sine magno labore, viventes partu ediderat infantes. Inde ab anno tripartito menstrua amiserat et jam longius alvo obstructa et mingendi laboravit difficultate et inde, a tribus diebus, nulla consecuta erat alvus ipsaque ve-

---

[1]) Gemeinsame deutsche Zeitschrift f. Geburtskunde. 2ter Bd. 2tes Heft. Weimar 1828. p. 397—400, aus: Journal de Phys. expérim. et pathol. par *F. Magendie*. T. 6. Jan. 1826.

hementissimis cruciabatur abdominis doloribus in utroque extremo latere; quibus accesserant venter admodum turgidus, gravissimi capitis dolores, modo acerbus modo acidus gustus, frequentes ructus atque tussis multo cum sputo. Lingua est pallidissima et multo albido muco obducta, pulsus est duriusculus, parvus, frequens. Largum e vagina effluxum fluorem album habuit. Lenientibus in ea usi sunt remediis; dolores autem certis tantum temporibus mitescebant et urinariam quoque vesicam tetigerunt. Noctu praesertim, cum accrescerent, omnem ab aegrota depulerunt somnum. Alvo admodum obstructae clysmatibus auxilium est latum atque catheter saepius est applicatus, neque tamen multum urinae saturatae emitti potuit. Vomit saepius, maximaque correpta erat omnium ciborum nausea. Linguae color manet pallidus, eaque albido muco obducta, humida. Subito, decimo die ante Calendas Februarias quinta hora mane, acerrimus dolor super arcum pubis et in infima pelvi ortus est. Aegrota inquietissima est et vix, rogata, respondet. Vultus sunt deformati, oculi soluti, labia pallidissima, pulsus semper rarescit et inter syncopas atque convulsiones mortem cum vita commutavit. Extispicio abdominis, tegumentis resecatis, effluit multus sanguis, sero commixtus, qui, quo magis effluit, eo obscurior erat. Spongia, quae, ut sanguinem exsugeret, demissa atque retracta parvum foetus caput ex liquido apparuit. Quae, cum accuratius consideraverim, multum sanguinis coagulati in infima pelvi praesertim in laeva parte reperi. Intestina, prope adjacentia, rubro colore maxime erant affecta, lympha coagulata atque sanguine tecta; duodecim fere sanguinis et seri librae sunt exhaustae. Uterus omnes in partes erat auctus, parietes ejus continent duplicatum pollicem tripartitum, ejusque longitudo a fundo usque ad extremum os uteri fere est quatuor pollicum, maxima latitudo duos atque tres quadrantes; posterius labium est e longitudine pollicis ter quadrati. Internus uterus membrana glutinosa [1]) erat obductus, qui angustissima corporis sui parte in materiem concretio-

[1]) Fig. R.

rem [1]) degeneravit. Tuba dextra atque ovarium dextrum sano in statu reperi, dextrae tantum tubae infirmissimae erant fimbriae. Arteria spermatica sinistra ex palumbae pennae crassitie erat dilatata. In laevam normalem tubam ab utero specillum [2]) tenuissimum usque ad b ducere potui; unde quoque seta porcina latius provehi non potuit; sub hac tuba erat multum sanguinis coagulati. Laevum ovarium in saccum trium pollicum atque quinque linearum longitudinis, trium pollicum altitudinis et unius pollicis undecim linearum profunditatis est commutatum. Sacci externum tegumen constat ex firmiori membrana [3]), cujus densitas vix unius est lineae, infra quod vasculosum crassum chorion [4]) et tenue amnion [5]) inclusum est. Superiore, laeva et posteriore parte hic sacculus est ruptus [6]) foramine, per quod foetus caput haud sine labore reduci potuit. Placenta [7]) posteriori annexa est parti ejusque diametrus est unius pollicis et quatuor linearum, ejusque crassitudo septem linearum, cui funiculus [8]) sex pollices longus et duas lineas crassus est affixus, qui inviolatus usque ad infantis ventrem sese extendit. Qui foetus, feminei sexus, quatuor fere menses agit ejusque longitudo, a vertice usque ad os coccygis, est trium pollicum et trium linearum; inferiorum extremitatum longitudo est unius pollicis atque decem linearum. Diagonalis capitis diametrus efficit unum pollicem et quinque lineas, longitudinalis diametrus unum pollicem et quatuor lineas, transversalis unum pollicem et tres lineas, perpendicularis novem lineas. Cutis lanugine est privata; oculi, os, nares, digiti manuum et pedum clari conspiciuntur, simulque unguium loci depressiones. Cetera matris viscera re vera erant sana et praeparatum museo anatomico nostrae universitatis conspici potest.

B. Casus, quibus, graviditate oarica, effecta intestinorum et peritonaei inflammatione mater extincta est.

---

1) Fig. S. 2) Fig. a. b.
3) Fig. Q. 4) Fig. P. 5) Fig. O.
6) Fig. c. e. d. g. f. 7) Fig. L. 8) Fig. M.

1. *Susewindius*[1]) experiendo cognovit in femina, triginta sex annos nata, quae ter feliciter partum ediderat, menstrua cessare, mingendi difficultatem, alvum obstructam, nauseam et vomituritionem adesse. Duos menses post menstruorum cessationem, vehementes sensit dolores, qui enteritis habebantur, e vagina emanavit sanguinis copia cum carnis frustulo (decidua). Septem menses postquam menstrua cessaverunt, in clinicum obstetricium hujus universitatis est recepta; dextro in latere tumor tangi potuit, acuti erant dolores atque tractiones in genitalibus, nullus plane sensus inferiorum extremitatum, quae vespertino tempore oedematose intumuerunt. Tumor rotundus, circumscriptus, elasticus, a pelvi exoriens, regionem pubis, umbilicalem et inguinalem dextram occupans, duos digitos transversos ultra umbilicum protensus. Levi tactu gravis in abdomine dolor efficiebatur, umbilicus plane disparuerat; mammae flaccae, lacte carentes. Exploratio per prolapsam vaginam, et per rectum corpus durum, capiti infantis simile, parum mobile detexit; portio vaginalis uteri super ramum dextrum horizontalem ossis pubis reperta est, longitudine quatuor linearum. Labia oris uterini rotunda et tumida, rima transversa in foraminis rotundi speciem transmutata erant. Mater nullos senserat foetus motus; septem dies ante mortem ortus est horror atque arduus calor, qui redierunt. Mater mortua est peritonitide; uterus erat in tertio graviditatis mense, inerat ei decidua, sacculus dextri ovarii et tubae dextrae loco, quae non aderant, non erat ruptus, constitit tribus ex tunicis; externa albi coloris et duriusculae crassitiei lineam non excessit, media, quae formabat chorion etiam dura et firma, coeruleum colorem et dimidiam lineam habuit, interna, amnion formans, tenera erat, subtilis et subrubra, minimumque liquoris amnii continuit. Laeva tuba laevumque ovarium sana erant conditione, foetus erat semestris, masculus, quindecim pollicum longitudine; funiculus umbilicalis duodecim pollices longus; placenta sinistrae et posteriori parti ovi velamenti erat affixa.

---

[1]) De graviditate ovaria, Diss. Berol. 1820.

2. *Guérardus* [1]) feminam, duodetriginta annos natam, observavit, quae octo ante annos puerum mortuum, versionis forcipisque ope, ediderat, postea saepissime alvo obstructa et in quaque menstruatione doloribus vexata erat. Tunc menses, sex ante hebdomades, cessaverant, nausea, tensione in abdomine laborabat, sex post dies vehementissimis intestinorum doloribus cruciabatur, in quibus liquidum sanguine tinctum effluxit. Abdomen erat tumidum, quovis tactu dolens, hujusque loci dolentissimi regio pubis, regio iliaca utraque erant, sitis permagna, pulsus parvus, durus, os uteri dextrorsum inclinatum; mutationes tales, quales in secundo graviditatis mense esse solent, prae se tulit; uterus paulisper erat dejectus. Qua in re methodus antiphlogistica adhibita est. In utraque regione iliaca tumor mollis tactu dignosci potuit, et regionem pubis tumor vesicae urinariae repletae, aut utero, trium vel quatuor mensium gravido, similis implevit simulque mingendi difficultas aderat. Tumor autem, vesica cathetere evacuata, priori in statu remansit. Circiter unum et dimidium mensem post, de alvo mucosa, involuntaria, cadaverosi foetoris conquerebatur; et duos menses, cum medicus primum ad eam venerat, aegrota diem supremum obiit, postquam saepe gravissimos perpessa est dolores. Cadaveris sectio ostendit omentum majus sphacelosum, peritonaeo accretum, intestina cum mesenterio inflammata, multis in locis gangraena affecta, rectum utero et ovariis arctissime adhaerens et pancreas induratum. Cavo abdominis multum cruoris et coagulatae lymphae inerat, et totam parvam pelvim ovaria amplificata cum utero impleverunt. Ovaria obscuriora erant et sacculos quatuor pollicum, secundum diametrum, formabant. Uteri latitudo quatuor pollicum erat; ligamenta lata et tubae Fallopianae deerant, ovarium sinistrum saniem sanguineam continebat, parietes ejus coagulato sanguine erant obtecti, portio vaginalis indurata paene uteri corpus aequa-

---

[1]) *Rust's* Magazin, 26ster Bd. 3tes Heft. p. *532 — 546.* Krankheitsgeschichte einer mit 3 Monaten tödtlich ausgegangenen graviditas extrauterina, nebst dem Sectionsbericht von Dr. *Guérard* jun.

bat. Uteri parietes pollicis crassitiem exhibebant, fundo ejus polyposa massa adhaesit. Ovarium dextrum scalpello apertum, coagulato sanguine repletum, foetum trimestrem cum placenta continuit.

C. *Muratus* in Dictionnaire des sciences médicales[1]) exemplum foetus maturi in ovario sinistro nobis offert. Quod exemplum in libro de arte obstetricia, a domino *de Siebold* edito, narratum esse dicit; ego autem hoc exemplum reperire non potui. Medicum, ait, *Mullerum* ab Halbau, Silesiae pago, anno 1809 ad pagum Graefenhagen esse vocatum, ut feminae cuidam opem ferret, quae plures jam dies partus doloribus cruciata fuerit. Medicus infantem, cujus motus optime senserat, non utero inesse, sed in sinistra tuba aut ovario esse absconditum, intellexit. Gastrotomia, in sinistro latere, per incisuram, sex pollices longam, instituta, ovarium aperuit et viventem maturum infantem extraxit placentamque solvit; spongiae ope sanguinem et amnii liquorem removit, tum, secundum artis praecepta, feminam curavit. Mater et infans bene valuisse feruntur.

D. Graviditatis oaricae exitus putrescente foetu.

a) Foetus putridi evacuatio per rectum.

α) matre superstite.

Kleefeldius [2]) feminam, triginta quatuor annos natam, quae aliquot ante annos vivum infantem pepererat, observavit. Anno 1790 menstrua cessaverunt ceteraque graviditatis signa aderant; nausea et vomitus primis mensibus accreverunt ita, ut nullos cibos continere posset, itaque maxime emaciaretur. Doloribus sinistri lateris laboravit, alvus saepe obstructa, pedes oedematosi. Tumor globosus sinistri lateris sensim sensimque augebatur, nullus foetus motus, nullus e vagina effluxus sentiebatur. Novem post menses mammae turgidae multum lymphae effuderunt et partus doloribus ortis aliquot sanguinis unciae, nulla vero aqua, e vagina effluxerunt.

---

[1]) Tome 39. art. ovaire. p. 33, 34.

[2]) *J. Ch. Stark's* Archiv für die Geburtshülfe etc. 6ter Band. 1stes St. Jena 1794. p. 78 — 96. Geschichte einer viertehalbjährigen Schwangerschaft des linken Eierstockes und des Abganges der Knochen vom Foetus durch den Mastdarm, von Dr. *Kleefeld.*

Obstetrix, feminam nonnullos ante menses explorans, portionem uteri vaginalem tumidam, minime breviorem, non apertam, aliquanto autem delapsam repererat. Postea menstrua redierunt, abdomen pedesque tumidi manserunt, et duobus annis bimestrique praeterlapsis tenesmus, putrida alvus atque diarrhoea oriebantur. Post quinque menses os frontale sinistrum ejectum est et, indagatione serius instituta, *Kleefeldius* cicatricem thaleri magnitudinis in inguine laevo reperit.

β) matre exstincta.

1. *Giffardus* [1]) in femina, quae mense Augusto anni 1728 tertio vel quarto mense se gravidam putabat et signa, quae abortui praecedere solent, persentiebat, os Tincae dilatatum reperit. Sex septemve hebdomades post foetus motus percipiuntur, abdomen tumidius. Quinto die ante Nonas Octobres vehementibus doloribus colicis, qui semper augebantur et partus doloribus similes erant, affecta est. E vaginae disquisitione hujus lacunar extensum et repletum cognovit uterumque retroversum habuit; os Tincae duos vel tres pollices super os pubis elevatum, ischuria et alvus obstructa. Per aliquot dies sanguis aqua mixtus e recto effluxit, et tertio die ante Calendas Novembres obstetrix foetum ex eo extraxit, et *Giffardus*, duobus digitis rectum explorans, plures placentae partes solvit. Sex per dies sanguis coagulatus aliaeque materies e recto effluxerunt, tunc mulier interiit. Foetus perfectus jam ante aliquod tempus erat mortuus atque putredine corruptus. Ovarium sinistrum, tuba sinistra, uterus et vagina naturalem statum retulerunt. Ovarium dextrum, retro uterum expansum, cum coli extremitate rectoque unitum, disruptum atque in intestinum rectum apertum, tubam dextram cum illo coalitam atque continuam, in ipso sacco autem relictam placentae cum dilacerata membrana portionem repertam esse dicunt.

2. *Chamoux* [2]) narrat, graviditatem feminae ali-

---

[1]) Philosophical Transactions. Vol. 36. for the years 1729. 1730. London 1731. Number 416. pag. 435 — 440. An account of the praeternatural delivery of a foetus at the anus communicated by Mr. *Nourse.*

[2]) *Richter's* Chir. Bibl. 2ter Bd. 4tes St. Gött. u. Go-

cujus metrorrhagia mox cessante incepisse. Abdomen tumescebat et duri aliquid in eo tangi potuit, alvus modo obstructa, modo soluta. Post duos annos febris putrida, cum saniosa, sanguinolenta, foetida diarrhoea conjuncta, accessit, caro et ossa evacuata sunt et postquam diarrhoea vicissim cum alvo obstructa vires debilitaverat, femina obiit. Cadavere secto foramen duos et dimidium pollicem longum in recto est repertum. Illi inserta erant os frontale, parietale et occipitis foetus quadrimestris; abdominis cavum saniem continuit, uterus erat parvus, durus; tuba altera permagna, altera deleta. Fructus ab initio in ovario fuisse fertur.

3. *Gmelinus* [1]) nos certiores fecit de femina annum trigesimum primum agente, quae ante quatuor annos magno cum labore pepererat et ab Octobri anni 1780 mensibus destituta erat. Aliquid sanguinis irregulari modo e vagina effluxit, vaginalis uteri portio symphysi ossis pubis affinis erat; saepius ad mingendum incitabatur et guttatim tantum urinam excernere potuit; alvus tarda, dolores abdominis et tenesmus aderant; sinistro in latere corpus durum, ovale, pugni magnitudinis, per vaginam et per rectum tangi potuit; retroversionem uteri adesse crediderunt. Quarto graviditatis mense alvus sanguinea, putrida, foetida aderat halitusque foetidum odorem spargebat; quinto mense mulier interiit. Dissecto corpore ovarium dextrum normale repertum est, uterus sinistrorsum inclinatus, ovarium sinistrum expansum. Cavo pelvis foetus, sextam vel septimam hebdomadem, agentis ossa absque partibus mollibus inerant. In utero succus fuscus erat contentus, rectum perforatum non conspici potuit.

4. *Forrestierus* [2]) in ovario dextro feminae mortuae,

---

tha 1774. p. 43, 44, aus: Journ. de méd. chir. pharm. par Mr. *A. Roux*. Janv. — Juin 1773. T. 39. à Paris.

[1]) *Baldinger's* Neues Magaz. f. Aerzte. 4ter Bd. 1stes St. p. 17 — 28. Geschichte einer conceptio in ovario sinistro, die eine tödtliche Krankh. verursachte. Leipz. 1782.

[2]) *Voigtel*, l. c. 3ter Bd. p. 550, et Medic. chir. Zeitung. Ergänzungsbd. 14- p. 244, aus *Duncan's* Annals for the year 1798.

tuae, quae ultimis vitae mensibus multos dolores tulerat multumque sanguinis cum massa membranacea e recto ediderat, sceleton infantis reperit. Erat hoc sceleton quindecim pollices longum, extremitates inferiores tres et dimidium pollicem longae, superiores quinque pollices; omnes foetus musculi, excepta linea alba, exesi. Ungues digitis affixi; uteri, capiti neonati infantis similis, parietes pollicem crassitie aequabant; cavum ejus ovi gallinacei parvi volumine. Foetus erat putridus, placenta et funiculo umbilicali instructus, sine fabricae vitio. Sacculus foetum continens cum recto communicavit.

b) Foetus putridus vesicam perrumpit.

Josephius [1]) sequentem casum rarissimum nobis offert. Dicit enim feminam quadraginta septem annos natam, postquam ante unum annum levi cum labore pepererat, secunda vice concepisse. Primis graviditatis mensibus nausea vomituque laboravit, alvus erat tarda; foetus motus, dolores vehementissimos in regione dextri abdominalis annuli, atque saepe partus sensationes usque ad pedis digitos senserat mulier. Dexter pes paralysi affectus, tres post hebdomades sanus redditus est, mammae lacte erant turgidae. Post annum sanguis putridus ex utero effluxit et decimo quinto graviditatis mense, menstrua redierunt ac regularia manserunt; lac autem evanuit. Dolore in vesicae regione atque tumore duro dextri lateris, per novem annos laboraverat, tunc accesserunt vehementissimi dolores colici, partus dolores, dysuria gravissimis doloribus conjuncta ita, ut tantum genubus incumbens minimam urinae quantitatem simul cum pure albo glutinoso reddere posset. Tribus annis praeterlapsis, lapis albidus fabae magnitudinis cum pluribus ossibus et lapidibus per urethram secessit. Post alterum biennium operatio a *Josephio* instituta est et incisione supra os pubis facta vesicaque aperta, hanc totam acutis ossibus, corpore duro rotundo partibusque mollibus repletam reperit. Dextrum circa fundum vesicae intestina ni-

[1]) *Josephi,* l. c. p. 182 — 223. Gesch. und Beurtheil. einer 15jährigen Schwangerschaft, wo das Kind in der Harnblase lag.

gro coerulea per aperturam penetraverant. Mulier mox obiit et per extispicium nullus sanguinis cruor nullaque urina in pelvi inveniebatur; in regione ossis ilium dextri quatuor circiter unciae flavidi foetidi puris apparuerunt. Vesica urinaria densata, multis locis cartilaginea, interne spongiosis tumoribus repleta fuit. Sinistro in fundo foramen grossi magnitudinis ambitu calloso praeditum aderat, dextro in fundo sacculus, partem intestinorum tenuiorum continens, vesicam perruperat et foraminis hoc modo formati diametrus duos et dimidium pollicem longa erat. Uterus, tuba sinistra sinistrumque ovarium sana.

c) Foetus putridus restat in abdomine.

Hallerus [1]) nobiscum communicat exemplum feminae, quae semel felici cum successu pepererat, bis autem abortum fecerat, menstruis destituta aliaque graviditatis signa perpessa erat. Quinque post menses abdomen solito more expansum feminaque colica, vomituritione affecta est; foetus motus se sentire putavit. Duobus mensibus praeterlapsis, partus doloribus laboravit et se abortum facturam credidit. Omnes dolores motusque tunc cessaverunt et post mensem integrum foetidus mucosus latex e vagina effluxit; praeterlapso altero bimestri dejiciendi et mingendi desiderio partusque doloribus tres per dies vexata est. Tunc febris accessit atque mammae turgidae, durae, multum lactis per aliquot dies effuderunt; his relaxatis, saniosus, seriusque mucosus, liquor e vagina emanavit; abdomen tale, quale nono mense gravidae esse solet, permansit posteaque aliquantulum decrevit. Appetitus defectu, agrypnia, frequentibus animi deliquiis, capitis doloribus laboravit et maxime emaciata est. Rursus mammae turgescebant et lac secernebant; e vagina sanguis coagulatus ejiciebatur. Anno integro, post graviditatis initium, lapso, menstrua denuo apparebant et regularia ad mortem permanebant. Novem per an-

---

[1]) Hist. de l'Acad. royale des sc. Année 1773 à Paris 1777. p. 21, 22. Sur une grossesse extraordinaire. Et Mémoires de mathemat. et de phys. etc. Année 1773. à Paris 1777. p. 25 — 32. Mém. sur une grossesse singulière par Mr. *Haller*.

nos duosque menses gravida, tandem ſebri hectica correpta, mortem obiit. Abdomine aperto, albidam ſoetidissimam materiem repererunt. Ovarium dextrum cum tuba dextra in saccum duodecim pollices longum, octo pollices latum et sex pollices crassum abierat, qui sacculus tribus locis perforatus, similem materiem ac in abdomine, ſoetumque septem mensium, putredine aliquanto corruptum, continuit. Foetus ossa incorrupta erant, placenta basi sacculi adhaesit et funiculus umbilicalis cerni non potuit. Uterus gravidus, sinistrorsum inclinatus, tuba sinistra et ovarium sinistrum normalia.

D. Graviditatis exitus arescente, aut minus mutato foetu.

1. *Littrius* 1) cadavere examinato conspexit ovarium sinistrum dimidio majus solito. In tertia, sic dicta, vesica hujus ovarii, excepto claro mucoso liquore, foetus extitit tres lineas longus et unam cum dimidia crassus. In capite nares, os, palpebrarum rimae optime perspici potuerunt, neque extremitatum rudimenta deſuerunt.

2. In Diario Hamburgensi 2) *Bolten* refert, experientissimos Doctores, *Mullerum* et *Friderici*, embryonem quadrimestrem in sinistro feminae cujusdam ovario offendisse.

3. *Varocquierus* 3) puellam trigesimum annum agentem et fixo dolore sinistri inguinis mortuam, secuit. Inflammationem levem in intestinorum crassorum regione conspexit, ovarium laevum ovi gallinacei magnitudinis tubae ejusdem lateris fimbriis concretum.

Uncia liquoris, sero lactis similis, in ovario contenta erat cum foetu flaccido, placenta substantiae ovarii affixa et funiculo umbilicali, unum et dimidium pollicem longo. Foetus longitudo a vertice

---

1) Histoire de l'Académie royale des sc. année 1701, avec les mémoires etc. pour la même année. Seconde édit. à Paris 1743. Mémoires: p. 111 — 114.

2) Hamburg. Magaz. 1ster Bd. 1stes St. 2te Aufl. Hamburg 1747. p. 96.

3) Hist. de l'Acad. royale etc. année 1756. à Paris 1762. p. 48 — 49.

usque ad genu duorum pollicum erat, crura vero arefacta duas lineas non excesserunt; uterus ad hoc latus inclinatus, normali statu gaudebat itemque dextrum ovarium [1]).

4. *Jägerschmidii* [2]) observatio haec est: Uxor annos triginta duos nata, tertium puerpera, jam per quinquennium de dolore quodam regionis hypogastricae conquerebatur et quidem eo potissimum tempore, quo erat gravida. Ante viginti duas hebdomades, ex quo mensium fluxum non fuit experta, dolorem statim gravativum ad dorsum usque atque iliacas regiones tendentem, sentiebat, cujus comes interdum erat mingendi difficultas. Fovea umbilicalis nulla apparebat, sed cum ventre pleno erat. Dr. *Fellmet* uteri orificium digito exploraturus, statim obstaculum invenit in vagina, quod impediebat, quo minus ad uteri orificium pervenire posset. Vesica cathetere evacuata multum urinae sanguinisque emisit. Femina gravidam se esse negabat. Utero sinistrorsum inclinato embryo inerat et in parte superiore ovarii sinistri ovi anserini magnitudinis substantia ossea prominebat, ex eo materia pinguedini anserinae simillima, nec aqua nec spiritu solubilis, emanavit et embryo semiosseus lamina ossea apparuit, una cum quatuor concretionibus quasi osseis, tres dentes molares et unicum caninum referentibus, omnibus laminae huic osseae infixis. Testis alter mediocris magnitudinis erat.

5. *Thom* [3]) ex milite viduam, quadraginta circiter annos natam, quae plures jam partus ediderat, de dolore gravativo in abdominis sinistro latere conquestam esse et hyeme anni 1780 interiisse narrat. Extispicio reperiebatur uteri cavitas capacior, substantia ejus crassior, tuba sinistra cum ovario

---

[1]) Notatu dignum in hac observat. esse videtur, hymen perfectum adfuisse.

[2]) Nova Acta phys. med. Acad. Caesar. Leopoldino-Carol. Nat. Curios. Tom. quartus. Norimbergae 1770. p. 82 — 87. Observ. 22.

Gustav Fried. Jaegerschmid, De foetu semiosseo reddito in ovario sinistro reperto.

[3]) Dissert. observat. de conceptione ovaria cum epicrisi sistens auct. *Georgio Thom*. Giessae 1781.

concreta, aperta. Ovarium sinistrum pugni magnitudine, trium unciarum pondus excedens, praeter longos crines, qui materia sebacea fere pultacea erant circumdati, uno in loco, quo ala vespertilionum globo annectebatur, corpus durum tactu dignoscendum continuit. Ossa nec erant membrana involuta, nec ulla tunica aut ligamento cohaerentia, sed nuda soluta et absque ordine in materie pultacea passim jacentia. Ex illis dignoscenda erant ossa femoris, os unum humeri et aliquot ossa longiora, quae, licet obscurius, costae esse videbantur. Praeter haec plura alia ossiculorum frustula, quae vero minuta carieque exesa, plane non distingui poterant. Materia, cui haec ossicula insidebant, tenuior erat, odorem tetrum, putridum late spargens, flava, parca tamen, materiei pilos continenti lineae crassitie imposita erat, pilos ipsa non fovebat.

6. *L'Éveillé* [1]) extispicio mulieris octo menses gravidae, in nosocomio Hôtel Dieu appellato, morbo interno pressae et mortuae ovarium dextrum in magnum tumorem mutatum reperit; cui mola ovi gallinacei magnitudine atque foetus bene efformatus, tres et dimidium circiter mensem agens, inerat. Extremitates hujus foetus, placenta et funiculus umbilicalis perbene conspici potuerunt.

7. *Petit* [2]) feminam quinta vice gravidam observavit, cujus menstrua regularia parciora usque ad mensem septimum reddita, tum colicae vehementissimae secutae sunt. Uteri os dilatatum, crassum, durum evasit. Nono mense partus dolores mox cessantes oriebantur, abdomen expansum mansit, menstrua regularia, vehementibus tamen doloribus fluxerunt. Post biennium intestinorum inflammatio exoriebatur, quam mors secuta est. In ovario dextro foetus femineus, septimestris, sine aqua, sine foetore, flavo cum tegmine contentus erat; funiculus umbilicalis flaccidus, sed firmus, placenta parva. Tuba dextra et ligamentum ejus lateris extincta erant, uterus normalis.

---

[1]) Rapports généraux, l. c. p. 146.

[2]) *Voigtel*, l. c. 3ter Bd. p. 549, aus: Recueil des act. de la soc. de santé de Lyon 1798.

E. Unius graviditatis exitus, cujus *Baillius* [1]) est testis, accuratius describi nequit. Etenim in collectione quadam of Windmill-Street praeparatum adesse, quod foetum in ovario formatum ostendat itemque uterum duplo majorem, densatum, spongiosum esse et vasa dilatata, ut in gravido ejus statu esse solent, habere narrat.

Duae quoque mihi memorandae sunt observationes, quibus uti non potui. Unam citat *Hallerus* [2]), *Barfenknechtium* foetum cum dentibus et crinibus in ovario reperisse. Alteram *Albers* [3]) indicat: *Smithium* in quovis feminae cujusdam ovario foetum spectasse. Observationes *Boltenii* [4]) et *Blumenbachii* [5]) ad ovarii degenerationes esse referendas, credo.

---

[1]) Philos. Transact. of the royal society of London. Vol. 79. for the year 1789. part. 1. p. 75.

[2]) Elem. Phys. 4to. T. 8. p. 46.

[3]) Med. chir. Zeit. 1819. 1ster Bd. p. 348. An instance of conception, wherein a foetus was evolved in each ovarium. In a letter from W. *B. Smith* Esq. of Jamestown, Prince-Edward County, Virginia, dated Sptbr. 15. 1809, to Mr. *Stanard* editor of one of the Richmond gazettes, in med. repos. New York 1810. Hexade 3. vol. 1. p. 408, 409.

[4]) Hamburg. Mag. l. c. p. 92 — 96.

[5]) Medic. Bibl. 1ster Th. p. 252 — 255, und Samml. von Natur- u. Medicin-, wie auch hierzu gehöriger Kunst- und Literatur-Geschichte, v. einigen Acad. in Breslau. 1722. Winter-Quartal. Leipz. 1723. p. 17 — 38. et 1728. Suppl. 2. art. 17.

tores.	Observationis annus.	Graviditatum praecedentium numerus.	Verisimilis foetus aetas.	Tempus, quod mater infantem, sacculo non rupto, secum tulit.	Graviditatis sedes.	Foetus sexus.	Graviditatis exitus.
s . .	1614	7	4 mens.	—	Ovarium dextrum	femin.	Sacculi ruptio.
rice	1682	8	$1\frac{1}{2}$ m.	—	Ov. dext.	masc.	Sacculi ruptio.
ıier .	1697	1	2 mens.	—	Ov. dext.	—	Sacculi ruptio.
. . .	1701	—	1 mens.	—	Ov. sinistr.	—	Foetus minus mutatus.
. . .	1728	—	—	6 mens.	Ov. dextr.	—	Foetus putridi evacuatio per rectum, matre extincta.
& ici .	1747 † *)	—	4 mens.	—	Ov. sinistr.	—	—
. .	1749	0	4 mens.	—	Ov. sinistr.	masc.	Sacculi ruptio.
ier .	1756	—	3 mens.	—	Ov. sinistr.	—	Foetus arefactus.
ıecht	1766 †	—	—	—	Ovar.	—	—
mid	1772 †	2	—	5 ann.?	Ov. sinistr.	—	Foetus semiosseus.
. . .	1772	3	7 mens.	9 ann. 2 mens.	Ov. dextr.	—	Foetus putridus.
: . .	1773 †	—	4 mens.	2 ann.	Ovarium	—	Foetus putridi evacuatio per rectum, matre extincta.
. . .	1780	1	6 — 7 hebd.	5 mens.	Ovar. sinistr.	—	Foetus putridi evacuatio per rectum, matre extincta.
. . .	1780	Plures jam partus ediderat femina.	—	—	Ovar. sinistr.	—	Foetus putredine correptus.
. . .	1789 †	—	—	—	Ovarium	—	—
. . .	1790	1	—	$3\frac{1}{2}$ ann.	Ovarium sinistrum	—	Foetus putridi evacuatio per rectum, matre superstite.

umerus hoc signo † notatus pertinet ad annum, quo observatio est

Observatores.	Observationis annus.	Graviditatum praecedentium numerus.	Verisimilis foetus aetas.	Tempus, quod mater infantem, sacculo non rupto, secum tulit.	Graviditatis sedes.	Foetus sexus.	Gravid[illegible] exitu[illegible]
Krohn	1791	—	$7\frac{1}{2}$ mens.	—	Ov. sinist.	femin.	Sacculi [illegible]
Forrestier . .	1798 †	—	6 mens.	—	Ov. dextrum	—	Foetus [illegible] evacua[illegible] rectun[illegible] extinct[illegible]
L' Éveillé . .	1798 †	—	$3\frac{1}{2}$ m.	—	Ov. dextr.	—	Foetus [illegible] mutat[illegible]
Petit	1798 †	4	7 mens.	2 ann.	Ov. dextr.	fem.	Foetus [illegible] mutatu[illegible]
Roveredanus	1800	—	7 mens.	—	Ovar.	—	Sacculi [illegible]
Murray & Kaltstroem	1802 †	4	6 mens.	—	Ov. dextr.	fem.	Sacculi [illegible]
Josephi . . .	1802	1	—	14 ann.	Ov. dextr.	—	Foet. pu[illegible] cuatio p[illegible] cam urin[illegible] matre ex[illegible]
Mueller . . .	1809	—	10 m.	—	Ov. sinist.	—	Matris et[illegible] tis vale[illegible]
W. B. Schmidt	1809	—	—	—	Singulis ovar. inerat foetus.	—	—
Heim	1812 †	5	5 mens.	—	Ov. dextr.	—	Sacculi [illegible]
Uccelli	1817 †	—	3 mens.	—	Ov. dextr.	—	Sacculi [illegible]
Granville . .	1819	7	4 mens.	—	Ov. sinist.	—	Sacculi [illegible]
Hoepfner . .	1820	1	3 mens.	—	Ov. sinist.	—	Sacculi [illegible]
Susewind . .	1820	3	6 mens.	—	Ov. dextr.	masc.	Mater p[illegible] tide [illegible]
Painter . . .	1823 †	—	5 mens.	—	Ov. sinist.	fem.	Sacculi [illegible]
Sammhammer	1823	0	4–5 m.	—	Ov. dextr.	—	Sacculi [illegible]
Trezevant . .	1825 †	—	6–7 m. 6–8 h.	—	Ov. dextro duo inerant foetus.	—	Sacculi [illegible]
Doudement .	1826 †	1	$3\frac{1}{2}$ m.	—	Ov. dextr.	masc.	Sacculi [illegible]
Guérard . . .	1827	1	3 mens.	—	Ov. dextr.	—	Mater, [illegible] mation[illegible] norum
Auctor	1828	2	4 mens.	—	Ov. sinist.	fem.	Sacculi [illegible]

EXPLICATIO TABULAE.

A. Uterus anteriore facie longitudinaliter dissectus.
B. Vagina sectione longitudinali aperta, paucis rugis instructa.
C. Labium posterius orificii uterini.
D. Ovarium dextrum.
E. Tuba dextra.
F. Ligamentum rotundum dextrum.
G. Tuba sinistra.
a. b. Specillum tubae immissum.
H. Ligamentum rotundum sinistrum.
I. Ligamentum latum sinistrum.
K. Ovarium sinistrum in sacculum mutatum.
c. d. e. g. f. Ruptura sacculi.
L. Placenta.
M. Funiculus umbilicalis.
N. Foetus.
h. Clitoris.
O. Amnion.
P. Chorion.
Q. Membrana sacculi propria.
R. Membrana decidua *Hunteri*.
S. Concretior ejus pars.

VITAE CURRICULUM,

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS ADJECTUM.

Ego Carolus Ludovicus Rahts XVI. d. a. Cal. Martias anni MDCCCIV Elbingae natus patris optimi, praematura morte mihi erepti, obitum jam per plures annos lugeo, matre autem carissima e gente Nicolai adhuc vivente gaudeo. Confessioni evangelicae addictus sum. Primis literarum elementis imbutus Gymnasium Elbingense adii, iisque per septem annos et dimidium literis vacavi, quae ad academica studia viam muniunt; per quatuor annos Pharmaciae operam dedi. Mense Octobre a. MDCCCXXIII Berolinum petii ibique in numerum civium instituti regii medico chirurgici Friderico-Guilelmiani receptus, per quadriennium in medicinae utriusque studium incubui. Hoc temporis spatio hisce interfui praelectionibus. Cel. Wolff logicen et psychologiam, Illustr. Link historiam naturalem, botanicen et toxicologiam, Illustr. Lichtenstein zoologiam, Cel. G. Rose mineralogiam mihi tradiderunt. Encyclopaediam medicam, anatomiam universam nec minus organorum sensuum, comparatam et pathologicam, entozoologiam et physiologiam Illustr. Rudolphi me docuit. Osteologiam, syndesmologiam, splanchnologiam, artem formulas medicas concinnandi et anthropologiam forensem Illustr. Knape. His duobus viris Illustr. etiam in arte cadavera rite dissecandi praeceptoribus gavisus sum. Frequentavi praelectiones Illustr. Hermbstaedt et Cel. Turte de physice, chemia et pharmacia, Cel. Eck de physiologia, Illustr. Osann de materia medica, de auxi-

liis in subito vitae discrimine et de fontibus medicatis, Illustr. HORN de pathologia speciali et de vesaniis, Illustr. FR. HUFELAND de pathologia generali et semiologia, Cel. JUENGKEN de ophthalmiatrice. Beat. BERENDS Hippocratis aphorismos interpretantem audivi. In therapia Perillustr. W. HUFELAND et Illustr. FR. HUFELAND praeceptoribus gavisus sum. Celsi de medicina libros Cel. HECKER mihi exposuit. Arte obstetricia et fascias applicandi, chirurgia generali et doctrina de ossibus fractis et luxatis Illustr. KLUGE me imbuit, chirurgia universa Illustr. RUST. Illustr. DE GRAEFE, RUST et KLUGE akiurgiam me docuerunt. Exercitationibus clinicis interfui medicis, chirurgicis et ophthalmiatricis Illustr. virorum DE GRAEFE, RUST et NEUMANN.

Quibus studiis peractis medico-chirurgi inferioris munere in nosocomio caritatis Berolinensi per annum functus sum. Jam vero tentamine et examine rigoroso coram Gratiosa medicorum facultate legitime superatis, spero fore, ut dissertatione, quam conscripsi, et thesibus rite defensis, summi in utraque medicina honores in me conferantur. Quibus factis medici apud milites inferioris munere suscepturus, Regiomontum me conferre jussus sum.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Incubus est morbus nervosus.

II.

Inter arthritidem et rheumatismum maxima differentia.

III.

Nullum certum mortis signum nisi putredo.

IV.

Foetus sanguine nutritur.

V.

Euthanasiam fovere medici est.

VI.

Pulsus tantum cordis vi efficitur.

VII.


Morbus verminosus non existit.

VIII.

Febris conamen naturae mortem avertendi.

IX.

Optimum docimasiae pulmonum signum fines arteriarum pulmonalium, aut sanguine repleti, aut vacui praebent.



Thienemann. ad nat. del:

F. Guimpel. sc: